



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

12 Beneficiarius horas non recitans, primis sex mensib. peccat solum, postea vero etia[m] fructus restituere tenetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

DECISIO XII.

Ex conf. 12. alias 19.

12 **B**eneficiarius horas canonicas non recitat primis sex mensibus peccat, fructus tamen illo tempore receptos restituere non tenetur. Extrau. Pij V. Ex proximo. & Nau. in Man. cap. 25. num. 22. Postea vero receptos ecclesiæ, vel pauperibus restituere obligatur. Quod si beneficiarius ipse sit pauper, vt honeste se sustentare non possit, fructus restituendos sibi, & suis parètib; pauperibus saltem delicentia episcopi applicare potest.

DECISIO XIII.

Ex conf. 13. in utrisque.

13 **C**anonici ecclesiarum Cathedralium chorum sine iusta causa ad horas canonicas in eo dicendas non aduenientes, mortaliter peccant, nec absoluedi sunt, quamuis eas alibi pronunciant; Quia Canonici omnes præsertim ecclesiarum Cathedralium iure communi (ca. 1. & c. dolentes, de celebr. Miss. & Conc. Tri. ses. 24. cap. 12. de ref.) & regulari horis statutis officium diuinum cum alijs in choris collegialiter canere, & pronunciare tenentur; & obligatus ad aliquid in certo loco, vel erga certas personas, extra illum locum, vel erga alias personas illud faciendi, debito suo non satisfacit, c. nos quidem c. Innocens, de testam. Secus tamen de eo sentiendum est, qui infirmus captus, & violenter detentus, aut alia iusta de causa impeditus est, quo minus eas cum alijs in choro recitare queat. c. 1. de cler. non resid. in 6. c. cum dilectus c. ad nostram eod. t. in antiquis.

DECISIO XIV.

Ex conf. 14. alias 17.

14 **C**um beneficiarius horas canonicas solum ratione beneficii obtinere recitare teneatur; nec presentatus, vel nominatus ad beneficium, neque electus, si nondum sit, confirmatus, c. Transmissam c. nihil, de elect. neque prouisus, neque is cui collatio facta est, donec prouisioni sibi factæ consenserit, cum vique ad illud præstitum, beneficium non sit suum c. si tibi absentis, de præb. in 6. neque expectatiuus & similes gratias habens; sed neque qui duas sententias super beneficio, & sequestrum super fructibus eius in fauorem suum obtinuit, si nondum est ei illud collatum, horas canonicas recitare tenetur; Et iura omnia, quæ onus eas dicendi imponunt, de beneficiario habentibus quæsitum in beneficio loquuntur, licet nondum adepta possessio fuerit.

DECISIO XV.

Ex conf. 15. alias 14.

15 **C**æcus, qui horas dicere non valet ab ijs recitandis, etiam sine vlla Papæ dispensatione excusatur.

DECISIO XVI.

Ex conf. 17. alias 12.

16 **Q**ui plures linguas callet horas canonicas priuatim in diomate, quod sibi magis ardet, & partem earum vno, & partem altero, modo id sine contempto, & aliquo bono respectu faciat, recitare potest; officium autem paruum B. Virginis solum choro addictos ligat; vnde canonicus, qui aliqua de causa choro interesse non tenetur, ad officium paruum B. Mariæ, quod in eo a Canonice iubetur dici, non obligatur.

DECISIO XVII.

Ex conf. 18. alias 22.

17 **M**ilitēs religiosi S. Iacobi de spatā, qui ex ordinis institutione ad preces horarias ceterum & viginti Patris nostri, cum totidem Ave Maria quotidie persequendas tenentur, ad officium paruum B. Virginis ratione pensionis ecclesiasticæ, quam obtinent, ex Pij V. constitutione non obligantur. Quia cum lex ex legislatoris mente, & ratione extendi, & limitari debeat, c. Suggestum, & c. meminimus de app. l. & Pa. l. i. & mens Authoris & ratio prædictæ legis est; ne fruente fructibus beneficiorum omnino immunes essent ab onere dicendi aliquas preces, ad quas beneficiarius tenetur; non extenditur ad eos, qui alia de causa ad alias preces, & plures, quam sunt preces officij B. Virginis obligantur; sicut nec presbyter vel illius, vel alterius

ordinis, qui ad horas canonicas tenetur, ad officium B. Virginis ratione pensionis, quæ habet, plus quam alius presbyter pensionem carens, obligatus, præsertim quia illa 120. Patris nostri, & Ave Maria loco horarum canonicarum succedunt; ad quas clerici illius ordinis tenentur, adeo vt quodammodo videntur horæ canonicæ; subrogatum autem naturam eius, cui subrogatur, sapit, l. cum quis S. qui in iuratum, ff. si quis cau. & c. ecclesiæ, vt lit. pen. Sicut ergo qui alia ratione ad horas canonicas tenetur, ex prædicta Pontificis constitutione ad illud officium paruum ratione pensionis non tenetur; ita neq; illius ordinis religiosi Milites vt pensionarij tenebuntur.

DECISIO XVIII.

Ex conf. 19. alias 5.

18 **I**talus aut alius latinus in terris Græcorum habitans in die facti missam ritu Græcorum audire tenetur, dummodo modus celebrandi Missas illarum terrarum, ritui catholicorum necessario iure diuino in eis celebrandis seruando non sit contrarius; quamuis in aliquo iuri canonico consuetudine antiqua abrogabili forte contrarius fuerit. Sicut enim ipsa celebratio, non seruatis illis, quæ de iure diuino seruanda sunt, peccatum est; ita & auditio in tali casu iure diuino censetur prohibita, eo quod esset cõsensu in peccatum iure diuino prohibitu, quod nulla ratio ne licet, vt patet Ro. 1. & c. 1. de off. del. Quia vero Græci in terris suis secundum modum catholicorum abrogabile celebrare non obligantur, Arg. c. si de consuetud. licite, & sine peccato latinus eorum Missas audire poterit, & proinde a præcepto ecclesiæ de audienda missa in diebus festis non excusabitur; Ex quo fit, vt diligenter informare se vnusquisque debet de modo celebrandi eorum, vt missas eorum audire, nec ne possit, & teneatur, diuidet.

DECISIO XIX.

19 **Q**uamuis clericus habenti Breuiarium aliquod priuatum ante ducentos annos scriptum, ex suo solo cõsensu, nouo Romano vt liceat, eo quod breuiarium illud auctoritate priuatum scriptum, a generali præcepto dicendi horas iuxta formulam noui Romani non excipitur; habenti tamen Breuiarium publicum auctoritate publica episcopi vel alia legitima ante ducentos annos cõpositum nouo Romano non nisi consentiente prælato, & maiore parte capituli, vel conuentus, vt non licet.

DECISIO XX.

Ex conf. 6. in Nouis, deest in antiquis.

20 **D**efunctorum missa & officium, vt prole fiant, vel dicantur, antequam moriantur, procurare licet; cauere tamen debet sacerdos, ne orationes, in quibus aliquæ mortuæ esse enunciant, illi viuo applicet, qualis est illa, quæ incipit, Inclina, vbi illa verba habentur, Animam famulati, quam de hoc seculo migrare iussisti, & alie similes, quæ id esset mētiri, quæ quæ licet, c. 1. & c. cum humilitatis 12. q. 2.

DECISIO XXI.

Ex conf. 11. in Nouis, deest in antiquis.

21 **M**issarum nomine in fundationibus ecclesiarum, aut capellarum donationibus olim appositus, vt minuat, quauis iustā causam præstat diminutio redituum, & augmentum præij rerum ad victum, & vestitum necessarium, quia tamen vna Missa vociua pluribus non satisfacit ad hoc vt missæ votiue, quas fideles petunt, vt ad suam intentionem dicantur singulæ pro singulis piritantibus, obpauitatem sacerdotum, vel annonæ caritatem sic diminuat, vt per vnā satisfaciat illis, qui petunt tacite, vel expresse singulas pro singulis piritantiis, nisi consensus eorum, quibus promittuntur, accederet; (quod raro, aut nunquam accidere solet) petendum non est.

DECISIO XXII.

Ex conf. 18. in Nouis, deest in antiquis.

22 **H**oras non recitans beneficiarius fructus perceptos pro rata temporum, & officiorum, quæ recitare omisit, restituere tenetur, iuxta extrau. Pij V. inc. ex proximo. conf. 1. & 8. in ordine, non quidem ecclesiæ præcise, cuius est beneficium, sed satisfacit alijs operibus pijs, vel si est pauper, sibi tanquam pauperi erogando.

DE.